

1452

abduxerunt. Gibellinæ quoque factionis viri ex Valle Salfina Bergomatis agri Caroli Gonzagæ ductu ejecti sunt : quibus pulsis tota terra in Venetorum potestatem concessit.

Dum hæc in Gallia geruntur, Alphonsi conatus ad Florentinorum opes evertendas nihil interea remiserunt : sed aliquanto maiores in vernum tempus bellorum motus ab eo instare putabantur. Fama erat, statuisse eum Liburnium occupare : quo infeso, apparebat fore, ut & Pisas non multo post hostibus adimeret. Et jam ad id cetheas duas immensæ pene magnitudinis studio texere dicebatur. Dabant & Veneti ex födere triremes aliquot viris & armis instrutas. Contra Gallorum Rex Allobrogum interim Ducem ab armis editio revocarat. Impulerat & Renatum Regem, ut in Italiam adversus Alphonsum transiret : fore affirmans, ut Florentinorum Sforciæque opibus, qui milites & pecunias in stipendum pollicerentur, amissum regnum brevi recuperaret. Ex Græcia quoque trepide nunciabatur, Turcorum vires circa Byzantium invalescere : Mahometum Othomanum, ejus gentis Regem, opibus, paterna gloria, florentique ætate superbientem, haud procul a Thracio Bosphoro ad exitum Pontici maris castellum munitissimum erexisse : ac plane apparere, illius consilia ad evertendum Græciæ imperium spectare.

His minis bellorum intra extraque Italiam imminentium Nicolaus Pontifex motus, enixe studebat res Italiæ, quantum in se erat, componere, quum domestica conjugatione pene oppressus est. Stephanus Porcarius, sive Portius (ita memini solere ex ea familia se quosdam appellare, apud quos ego & frater admodum adolescentes Romæ instituebamur, suum genus ad M. Portium Catonem referre ausos, sed domestica signa id arguunt, quod vulgus tenet) is, inquam, nobilitate generis magis, quam divitiis potens, eximiaque eloquentia prædictus, jam antea ob ingenii altitudinem cœperat Pontifici esse suspectus. Ne quid igitur per occasionem domi moliri posset, publici munieris specie in Germaniam fuerat antea ablegatus : unde re-

*Renatus
Rex pro
Sforcia &
Florentinis
in Italiam
transfir.*

*Stephani
Portii con-
juratio.*